DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PARCA ET SIMPLICI MEDICINA.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. ANTONII SCHULTINGII,

J. U. D. ET ANTECESSORIS ORDINARII;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis, ritè ac legitimè conſequendis,

ERUDITORUM *Examini ſubmittit*

DAVID COOPER, A. L. M. *Scoto-Britannus.*

Ad diem 5. Novembris 1729. hora locoque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1729.

Medicos plus interdum quiete, quam movendo atque agendo proficere. Tit. Liv.

Errat enim, ſed neque errore erudito, qui Naturam Artis Adminiculo ubique indigere exiſtimat. Sydenh.

NOBILISSIMO VIRO

GULIELMO

DOMINO DE STRATHNAVER,

NOBILISSIMI atque ILLUSTRISSIMI VIRI

JOANNIS

COMITIS SUTHERLANDIÆ,

NEPOTI ET HÆREDI DIGNISSIMO.

NEC NON

JOANNI GORDON

ARMIGERO,

ORNATISSIMI VIRI

GULIELMI GORDON

EQUITIS BARONETTI,

FILIO NATU MAXIMO,

DISCIPULIS SUIS OLIM CHARISSIMIS,

NUNC MÆCENATIBUS PLURIMUM COLENDIS

HÆC QUALIACUNQUE &c.

D. D. D.

DAVID COOPER.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PARCA ET SIMPLICI MEDICINA.

M*alæ*, inquit Plato, *& turpis diſciplinæ in civitate nullum majus indicium capere potes, quam medicis & ſummis judicibus indigere, non tantum infimæ ſortis homines & mechanicos, ſed eos etiam qui liberali diſciplina educatos eſſe ſe gloriantur* [a]. Qualem verò ſibi hîc finxerit rerum ſtatum egregius ille Philoſophus, penes alios eſto judicium. Fatendum certè a multis retro ſeculis, etiam ante Platonis tempora, tales fuiſſe hominum mores, & talem vitæ rationem, ut cùm Judices, tum Medici omnino eſſent neceſſarii. Terras quippe jamdudum Aſtræa reliquit; nec ſponte amplius & ſine lege, ſed pœnarum fere metu, fidem rectumque colimus: unde factum eſt ut, teſte Cicerone, *aut diſtrahendarum controverſiarum, aut puniendorum maleficorum causâ, reperta ſint judicia* [b]. Ab antiquiſſimis etiam temporibus

a Vide Plat. de Repub. lib. 3.
b Vid. Ciceron. Orat. pro A. Cæcina.

Macies & nova febrium
Terris incubuit cohors.

Apud omnes itaque nunc populos, & in omni vel optimè inſtituta civitate, quum non tantum vulnera quotidie accidant, verùm alia quoque innumera mala, quæ neutiquam præcavere licet, quis neget dari oportere homines, qui iſtiusmodi incommodis laborantibus opem ferre poſſint?

Licet autem ſatis ſuperque conſtet, artem Medicam inſignem habere uſum, neque optimæ in civitate qualibet diſciplinæ ullo modo adverſari, haud tamen injuriâ dixiſſe videtur magnus Verulamius, *Varietatem medicamentorum ignorantiæ eſſe filiam, neque multa fercula tam multos feciſſe morbos, quam multa medicamenta paucas curas* [a]. Quod inſigne quidem & tanto viro dignum effatum, uti & alia haud pauca eòdem ſpectantia, dum mecum attentius paulo reputarem, facilè in animum induxi, ut de *Parca & Simplici Medicina* paucis diſſererem. Aliquid enim conſcribere, vel invita Minervâ, & renitente genio, cogunt Academiæ leges.

Caput Primum.

Qui proſpera gaudent valetudine nullis uti debent medicamentis.

Mirum ſanè quot & quanta volumina de *Sanitate tuenda* ediderint non Medici ſolum, verùm etiam Philoſophi. Nec defuerunt qui ſalutaria neſcio quæ ja-

ctarent

a Vid. Hiſtoriam Vit. & Mortis.

ſtarent arcana; quibus prudenter adhibitis non tantum valetudo ſarta tecta diu conſervetur, ſed etiam vitæ fines immanè quantum proferantur. Omnium verò maximè mirandum videtur, quod ſaniſſima vulgò & longiſſima vita iis contigerit hominibus, quibus iſtiusmodi vitæ & ſanitatis adminicula omnino fuerunt ignota. Neque profectò, ut quod res eſt ingenuè fateamur, aliter evenire poteſt; præcipua enim valetudinis tuendæ præſidia clariùs patent, & facilius inveniuntur, quam ut cuivis vel ex infima plebecula latere poſſint. Quam paucis verbis rem totam complexus eſt Hippocrates? *ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων, comeſſe ad frugalitatem, & ſedulò laborare.* Hanc, ſimpliciſſimam quidem, ſed ſolam viam monſtravit natura, quâ ſanitatem tueri & morbos prævertere quis poſſit; quod quidem non commodiùs quam ſapientiùs inſtitutum credimus; dum continentia in cibo & cultu vires adjicit, labor & exercitatio ſuperflua quæque circumcidunt. Nec tantum recta ratio, verum etiam veterum autoritas hoc probat. Audiamus Mercurialem, fide haud dubia Antiquorum ſententiam de hac re exponentem, *Hippocrates*, inquit, *ejusque ſequaces, ſanos non modò a medicamentis non juvari, ſed ſanitatem apprimè lædi, palam enunciarunt* [a]. Hic verò dum contra medicamentorum uſum diſputatur, ſermo non eſt de iis qui infirmi ſunt, aut quorum vacillare incipit ſanitas, ſed de illis ſolummodo

quibus integer ævi
Sanguis ineſt, *validæque ſuo ſtant robore vires.*

Quamquam enim dubitare non poſſum, quin languentes paulò & levioribus jam morbis correpti, parciſſimo

a Vide Mercurial. de Arte Gymnaſt. lib. 4. c. 2.

mo quidem, & fortè nullo medicamentorum uſu, reſtitui ſæpe poſſint; dum tamen *nulla* præcipitur adhibenda eſſe medicamenta, de eo tantum agitur rerum ſtatu, quo quis bene ſanus, & omni prorſus vacare ægritudine dici queat. Atque ita ſanè dum ſe res habet, adeo non proſunt remedia quæ dicuntur, ut non ſine periculo eadem adhiberi aſſeram. Occurrentem tamen videre videor Magni Verulamii verbis, *Medicationem ſi omnino fugias valetudine utens bona, corpori ingratior accedet, cum neceſſitas ingruerit* [a]. Num igitur, ut majore cum voluptate vomere poſſis, ubi advenerit morbus, qui hanc curationem ſuadeat; etiam cum omnis abeſt morbi ſuſpicio, vomas ſubinde neceſſe eſt? ut feliciter ſecetur vena urgente Pleuritide, num etiam dum ſanus es & vegetus, ſanguini mittendo oportet aſſueſcas? haud facilè adducar ut credam hoc ſibi voluiſſe præclarum virum: potius reſpexiſſe videtur locum quendam Plutarchi [b], ubi optimo certè conſilio præcipitur, ut qui bene valet, ſeſe paulatim adſuefaciat cibis iſtis ſimplicioribus, & palato minus gratis, quos ægrotantibus exhiberi convenit.

Sæpe, nec ſine magna voluptate, verſavi aureum Verulamii libellum, *Hiſtoriam* ſcilicet *Vitæ* & *Mortis*: ubi ſanè omnia *dulcia*, plurima *utilia* reperire eſt. Vereor autem ne, qui valetudinis & vitæ longæ ſtudioſior omnibus iſtis regulis ſeſe adſtringere vellet, vitam duceret nec lætam nec longam. Hoc enim eſſet, non tam naturæ convenienter vivere, quàm naturam, nimis ſcilicet juvando, mutare, immo & violare.

Videmus res ſingulas, animalia juxta atque vegetabilia,

a Vid. Verulam. Sermon. fidel. p. m. 157.
b Plut. de Sanit. tuend.

bilia; certo quodam temporis ſpatio, ad maturitatem ſuam pervenire; idque legibus, quas poſuit ſummus rerum Opifex, ſimpliciſſimis; neque ulla arte fieri poſſe ut, poſtquam in talem perfectionem adoleverunt, diu in eodem ſtatu conſiſtere queant. Corpus humanum inprimis nullis eget auxiliis, quibus vigeſcat, quibus augeantur vires & robur, quibus denique certâ annorum ſerie ad perfectionis ſuæ culmen perducatur; præter ea quæ omnibus in propinquo ſunt, & communia ferè ceu lumina ſolis & auræ. Hunc verò perfectionis ſuæ ſtatum ubi attigerit, declinet ſtatim neceſſe eſt, & iisdem ferè gradibus, quibus adſcenderat, in ſenectutem tandem & interitum ruat. Multi quidem fuerunt omni ſeculo, quibus ad multos annos producta fuit vita; conſtat tamen in cauſa fuiſſe, non medicorum ſolertiam aut medicamentorum vires, ſed bonos potius mores (ut cum Celſo loquar) neque deſidia neque luxuria vitiatos, & talem vivendi rationem, qualem Hannibali familiarem fuiſſe perhibet Tit. Livius, *cibi potionisque deſiderio naturali, non voluptate modum finitum.* Ut verbo expediam, ſolum arcanum, quo quis bene ſanus ſanitatem tueri queat, paucioribus fortè verbis quam alii voluminibus, clare nobis expoſuit Celſus, non tantum peritus medicus, ſed etiam vir prudens: *Sanus homo*, inquit, *qui & bene valet & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet; ac neque medico, neque Iatroalipta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiusque in agro; navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequenter ſe exercere: — — nullum cibi genus fugere, quo populus utatur; interdum in convictu eſſe, interdum ab eo ſe retrahere;*

re; modo plus juſto, modo non amplius aſſumere &c. [a] Generalia quidem ſunt hæc præcepta, veri tamen ſimillimum eſt, aliquid etiam de medicamentis dicturum fuiſſe Celſum, ſi homini bene ſano aut neceſſaria, aut ullo modo utilia eadem cenſuiſſet.

Quod habet Verulamius loco jam citato, *Medicationi ſi nimium aſſueſcas, detrahet de viribus & efficacia ejus quando morbus advenerit*, ſummam quidem ſapit viri prudentiam: hoc enim, ſi quid aliud, in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumeret; quod ante omnia cavendum:

tibi quidnam accedet ad iſtam
Quam puer & validus præſumis mollitiem, ſeu
Dura valetudo inciderit, ſeu tarda ſenectus.

Caput Secundum.

Summos quos novimus Medicos, in morbis ſanandis, medicamentorum fuiſſe parciſſimos.

Proximum eſt ut videamus quemadmodum in ægrotis curandis ſeſe geſſerint, qui fama & ſcriptis maximè claruerunt Medici. Initium igitur ducamus ab Hippocrate, qui meritò Medicinæ parens dicitur & princeps: de cujus medendi methodo pauca adnotare liceat.

1. Naturæ tantum paſſim attribuit, ejusque in morborum curatione tantam agnoſcit vim, ut ſæpe nihil aliud quàm illius ordinem, quo primò morbos infert, dein ad ἀκμὴν perducit, paulatim denique tollit & amo-

a Vide Celſ. lib. 1. cap. 1.

molitur, ſpectare videatur: unde minimè mirandum ſi *νούσων φύσιν ἰητρὸν naturam morborum medicatricem* afferat.

2. Tantus eſt in Diæta ægrotorum ordinanda; tam fusè & minutatim quænam proſint quæve noceant in alendis ægrorum corporibus definivit, ut facile appareat eum aliis omnibus ſæpe ſuperſediſſe medicamentis.

3. Hinc conſtare videtur cur in accuratiſſimis illis quas tradidit morborum acutorum hiſtoriis, tam rarò facta ſit remediorum mentio: prudentiſſimus enim cum eſſet Naturæ obſervator, probè ſciebat, quantum ipſam ſibi permittere, aut blandè ducere, ſæpe conveniret, nunquam invitam trahere. Novi multis ægre perſuaderi poſſe, non plura adhibuiſſe remedia Hippocratem, quàm quorum in enarrationibus illis injecta eſt mentio. Sed qui conferre volet quæ habet *de Victus ratione in Acutis*, cum hiſtoriis *morborum popularium*, facilè, ni fallor, videbit, multiplicem illam medicinam, quam tantopere jactarunt nonnulli, principi huic medico parum arriſiſſe. Sed ponamus, longè plura exhibita fuiſſe medicamina, quam quæ in ipſis hiſtoriis legere eſt: quid inde inferre poterimus? certè fruſtra ita inſtitutam fuiſſe curationem: quis autem ex multis remediis nullo cum fructu exhibitis miretur exhibentis peritiam? Patet enim, ex duobus & quadraginta ægrotis, quorum Hiſtorias libris primo & tertio legimus, quinque & viginti mortuos eſſe: ita ut, ponendo multis medicamentis uſum eſſe Hippocratem, tam triſtis ſanè fuerit eventus, ut vix credere liceat alios ad idem tentandum in ejuſmodi morbis facilè inductum iri. Nullus autem dubito quin ſi medicamenta, unde inſignis aliqua levatio ſperanda fuiſ-

ſet, in morbis iſtis, de quibus jam agitur, adhibitæ fuiſſent; apertè & ingenuè, pro more ſuo, dixiſſet talia remedia non profuiſſe. Generatim quidem dicitur uno in loco, *nihil adhibitis remediis eſſe profectum*; hæc autem talia fuiſſe credibile eſt, unde in iſtiusmodi caſibus non multum eſſet expectandum.

Nec tantum paucis verum etiam ſimpliciſſimis remediis contentum fuiſſe Hippocratem, clarius puto quam ut probatione indigeat: Aqua, Acetum, Mel in Inflammationibus omnem ferè implent paginam. Atque hæc de Hippocrate pro præſentis Inſtituti ratione adnotaſſe ſufficiat. Quo magis quis fuerit in ſcriptis Hippocraticis verſatus, eo faciliùs ſibi perſuadebit vera eſſe quæ hic poſui.

CELSUS etiam, qui non injuria Hippocrates Latinus dicitur, facilè in partes noſtras vocari poteſt; qui quam abhorruerit ab ingenti medicamentorum farragine multa oſtendunt.

1. Omnium veterum medicorum maximè imitandos ſibi propoſuit Hippocratem & Aſclepiadem. Illum ſibi in exemplar ſumſit in morborum notis propriis deſignandis, quæ vel ſpem vel metum injicerent. Quæ habet etiam de re chirurgica eidem, maximam partem, accepta ferre videtur: quod vel ex minima utriusque ſcriptorum comparatione facilè conjicias. In aliis fere omnibus Aſclepiadem maximè ſecutum eſſe, haud temere dixeris. Multarum rerum, quas ipſe ſecutus ſit, *bonum* appellat *Autorem* [a].

2. Ex octo libris, quos de Medicina conſcripſit, primi quatuor morbos internos continent: in his autem curandis tam parcus fuit medicamentorum quæ arte

[a] Lib. 4. c. 4.

te parantur, ut victûs ratione iis maximè ſubveniendum eſſe aſſeruerit [a]. Unde medicinam quæ circa hos verſatur διαιτητικὴν pronunciat [b]; & *optimum eſſe medicamentum opportunè cibum datum* [c].

3. Quid de ingenti remediorum multitudine ſenſerit, hinc diſcere licet, quod Aſclepiadis, qui longè alia viâ morborum curationem aggreſſus eſt, conſilium & rationem laudaverit; *Horum*, nempe medicamentorum, inquit, *uſum ex magna parte Aſclepiades non ſine cauſa ſuſtulit* [d]. Quem locum, ut qui plurimùm ad rem noſtram faciat, digniſſimum putavi qui notaretur: novi tamen eſſe qui per *Medicamenta*, ſola purgantia remedia, uti vocant, hic intelligenda velint: quem errorem in primis miror unde erraverit celeberrimus Clericus [e], non peritus tantùm, verùm diligens etiam veri indagator. Fateor quidem apud Hippocratem & alios, cum *Medicamentorum* fit mentio, haud rarò remedia tantum quæ alvum ſubducant indigitari; ſed hoc in loco neutiquam ita accipi poſſe, fatebitur quisquis ipſam Præfationem libri quinti attentius paulo legere, & cum ſequentibus capitibus conferre, non gravabitur: ad quæ provoco. Sed ut eò, unde digreſſus ſum, revertar; quanti fecerit Celſus ſimplicem hanc & parcam, quam tantopere laudo, medicinam, clariſſimè docent quæ de Febribus curandis tradidit; quæ cum plura ſint & longiora, quam ut huc inſeri, aut compendio dici commodè poſſint,

Juvet integros accedere fontes,
Atque haurire.

Poſſent & alia forte haud pauca ex antiquorum monu-

 mentis

a Lib. 5. Præf. b Lib. 1. Præf. c Lib. 3. c. 4.
d Lib. 5. Præf. e Hiſtoire de la Medicine p. 404.

mentis depromi, quæ ſententiam noſtram haud parum firmarent: ſed quum omnes in medium proferre neque neceſſe ſit, neque ſinat inſtituti ratio, præcipuos delibaſſe ſuffecerit.

RECENTIORES quidem quoties intueor, longè alia ſenſiſſe videtur communis medentium turba: non defuerunt tamen, qui ad majora & meliora nati, de trito Empiricorum calle decedere auderent: qualis in primis, nec ſine honoris præfatione nominandus, optimus Sydenhamus, non tantum artis ſuæ peritiſſimus, ſed etiam vir probus & antiqui moris.

Hic cum eſſet antiquorum & ſimplicis naturæ ſtudioſus, vana philoſophantium figmenta, quæ jamdiu medicinam vitiaverant, abjicere non dubitavit. Neque obſtiterunt ſiniſtri malevolorum ſermones, quibus quotidie eum carpebant medicaſtri, quominus novam medicinæ faciendæ viam aperiret. Videamus itaque breviter quamnam medendi rationem inſtituerit.

Sydenhamo prima fuit & præcipua cura, ut morborum notæ & ſymptomata, quibus a ſe invicem dignoſcuntur, quàm manifeſtè conſtarent & perſpecta haberentur. Nihil enim magis ad artem excolendam conferre putabat, quam omnium quæ ſemper & ubique cujusque morbi propria animadvertuntur, accuratam obſervationem: atque hinc factum eſt, ut ſumma ope caveret ne, immodico aût intempeſtivo medicamentorum uſu, naturæ ordo turbaretur. Unde facile videre licet quanto ſtudio ſummi Hippocratis inſtiterit veſtigiis. Atque hôc ſanè Medicus ac Empiricus intereſt; alter, de vera mali indole parum ſollicitus, *medicamenta* crepat mera; alter, quam monſtrat natura viam dum ſedulò notat, ſæpe pauciſſimis & ſimpli-

pliciſſimis, nonnunquam etiam ſine ullis remediis, morbum tollere valet. Hoc ſapientiorum omnium, quotquot hactenus artem coluerunt, experientia probat; & ita ſe rem habere ſingulis fere paginis teſtatur experientiſſimus Sydenhamus. Longum eſt omnia quæ huc faciunt enumerare, quare ſumma tantum ſequar faſtigia rerum.

Febres Intermittentes Vernales ſuo ſemper arbitrio permittendas, & nihil prorſus movendum putat Sydenhamus; *cum nemo quisquam, quod ſciat, earum unquam opera fatis conceſſerit: atque ex adverſo qui illas abigere ſategerunt, remediis præſertim evacuantibus, id tantum egiſſe, at morbus inde confirmatior pertinaciùs obſiſteret.* Quam ob rem nihil in hoc morbo, niſi cogente *importuna ægri impatientia* exhiberi voluit [a].

Eandem etiam medendi methodum in Quartanis laudat, modo *æger aut Infans ſit, aut ætate florens* [b]. Jam rogare licet, num quæ noſtris accidunt temporibus ejusmodi Febres, *tutius, jucundius, aut celerius* methodo φαρμακευτικῇ curentur? Equidem vereor ne plus obſit hic quam proſit ingens ſupellectilis medicæ copia.

Eòdem etiam ſpectant quæ habet de Rheumatiſmo curando. Quem morbum poſtquam repetita ſanguinis detractione per plures annos tractaſſet, malum vero ipſum ſublatum graviora ſæpe inſecuta fuiſſent incommoda, aliud cæpit meditari curationis genus; quod quidem ſimplicius fuerit an felicius dubitari poſſit: ſola nimirum diæta tenui, uti ſero lactis, curationem abſolvit [c]. Et quanquam fatetur hic vir egregius permagni

a Vid. Sydenh. Opera p. 85. Edit. Lugd. Bat. 1726.
b Pag. 94. c Pag. 318.

gni intereſſe, Juvenis æger ſit an ætate provectior, luxui an frugalitati deditus, (nam eodem prorſus modo *omnes* poſſe curari nemo dixerit) pro certo tamen habet, non hunc ſolum, verum alios etiam morbos, eadem ſimpliciſſima methodo poſſe depelli. Digniſſima videntur ipſius verba quæ hic citentur: *Si quis*, inquit, *hanc methodum tanquam rudiorem & artis laude carentem contemſerit, ſciat is velim, leviora tantum ingenia res quaslibet vilipendere, quod ſimplices fuerint & apertæ ——— Niſi obſtarent præjudicia vulgi, nullus dubitarem methodum jam dictam aliis etiam morbis, quorum impræſentiarum nomen reticere libet, adcommodare. Quod ſanè magis ægris prodeſſet, quam ſolemnior illa remediorum pompa; quæ in jam moribundis, tanquam beſtiis, ut mox immolentur, coronatis, malè collocatur* [a]. Pudeat ſanè etiam hodie hæc opprobria poſſe dici, nec poſſe refelli.

Nec minus notatu digna ſunt, quæ habet de *Variolis Diſcretis*, ubi rationem reddit cur e plebe tam paucos, e divitibus autem tam multos occidat hic morbus; his nempe obſunt *divitiæ molles*, illos incolumes ſervat *res anguſta domi* [b]. Unde facilè ſolvi putat problema ſatis inſigne. Sed quum omnium terantur manibus Autoris Opera, pluribus non immorabor.

Alii etiam clari nominis medici non minus acriter invehuntur in vulgarem medendi rationem, Baglivi, celeberrimus Italus, vehementiſſimè queritur de ſui temporis medicis, quod acutis morbis laborantes ita medicamentorum copia obruerent, ut natura, quò ſe verteret neſcia, non tam morbi, quam remediorum

vi

a Pag. 319. b Pag. 153.

vi ſuccumbere cogeretur. Atque inde optimam colligit rationem, cur Criſis illa, antiquis tam celebrata, apud recentiores tam malè audiat. Medici enim, dum quid valeat natura, aut quid ferre recuſet, non ſatis animadvertunt, de ſede ſua eandem deturbant, nec officio fungi ſinunt.

Multi, inquit idem Autor, *eo potiſſimum nomine tantis utuntur remediis, propterea quod (ſicuti a plurimis non ſine animi mœrore audivi) fieri non poteſt, ut inter tot adhibita remedia unum demum non reperiatur, quod morbum valeat retundere* [a]. Utinam mira hæc medendi methodus Italiæ ſeſe finibus ſemper tenuiſſet! Superatis autem Alpium jugis; Transalpinas etiam haſce regiones jamdudum invaſit.

Dira per incautum ſerpunt contagia vulgus.

Neque ſilentio hic præterire poſſum JODOCUM LOMMIUM, cùm judicio tum facundia eximium Autorem; cujus medendi methodus quam ſimplex ſit & aperta, norunt omnes quibus elegantem ejus de *Febribus Continuis* libellum legere contigit. *Nihil certè proponit Autor prudentiſſimus a communi penè omnium ſenſu, captuque ſemotum; frequentem verò medicamentorum ingeſtionem acriter impugnat: curationem ferè hujus morbi per tempeſtivum debitumque Venæ ſectionis uſum, ac victus rationem exequens.* Ut ſummo jure de eo teſtatur eruditiſſimus vir *Joannes Wigan*, qui, paucis antè annis, libellum illum ab oblivione & ſilentio vindicavit.

Sed ut miſſa faciam ſuperiorum ſeculorum ornamenta; non deſunt, hodiernis etiam temporibus, primi ordinis viri, qui ſimplicem hanc & genuinam curandi

a Vid. Prax. Med. lib. 2.

rationem publicè tueantur & commendent. Niſi nomina proferre & in os laudare parum expediret, minimè mihimet temperare poſſem, quin laudibus efferrem magnos illos viros, quos per plures annos cùm Leydæ, tum Trajecti ad Rhenum docentes audivi: quorum ſaluberrimis in re medica præceptis ac inſtitutis maximè debeo, quod longè aliud eſſe videam Empiricorum, aliud Medicorum more ægros tractare. Soleo tamen in primis ante oculos ponere principem illum Ingenii & doctrinæ virum, quem omni laude cumulatiſſimum eſſe medicum, fatentur omnes quotquot ubique Artem colunt. Hic quantopere damnet immanem illam medicamenta ingerendi licentiam, teſtari poteſt numeroſa, quæ ab ore docentis quotidiè pendet, Auditorum corona. Neque obſtat ſingularis quâ pollet rerum Chymicarum ſcientia; quo minus ſimpliciſſima quæque & ubique naſcentia, aliis quibuslibet, arte & induſtria paratis, ſæpiſſimè anteferenda aſſerat.

Idem prorſus ſentire video, & paſſim docere, Clariſſimum apud Germanos Medicinæ lumen, Fridericum Hofmannum. Qua de re digniſſimæ ſunt quæ conſulantur, variæ, quas eruditè admodum conſcripſit, Diſſertationes Phyſico-Medicæ.

Sed præter ſummorum virorum exempla, ſuppetunt & aliæ haud paucæ rationes, quæ parcè admodum ingerenda ſuadent medicamenta. Ipſa hæc, quæ vocantur, medicamenta, ſi quis ad examen accuratius vocaverit, facile comperiet, multa eſſe de quorum virtutibus nondum ſatis conſtat; multa quoque, quæ planè nocere optimorum Medicorum docet experientia; multa denique, quorum unica laus, quod e longinquo veniunt, & caro conſtant pretio. Eſſe quidem miſerabilem

bilem adhuc & maximè deploratum *Materiæ Medicæ* ſtatum monſtrarunt abundè, inter alios, Hofmannus modo laudatus, & Ingenioſiſſimus Simſonus noſter, Profeſſor Candoſſenſis. Hujus, quæſo, legas, amice Lector, elegantiſſimam de *Erroribus circa Materiam Medicam* Diſſertationem: probabis, ſpondeo, ingenii acumen; & delectabit ſummopere ſtili ſuavitas & ornatus.

Quo ergo, inquiet aliquis, *tot medicamina ex foſſilibus, plantis, & animalibus, vel arte parata, vel naturâ*, & a Gadibus uſque Auroram & Gangem petita? Reſpondeat vir in Arte primus:

Ut artium digniſſima emunctæ naris viris evadat jucularia. Facilè enim videt, cui ſenſus abundat communis, quis tam inconditæ abundantiæ uſus ſit.

Ut finem jam imponam Lucubratiunculæ huic Academicæ; mirari deſinamus, cur tam graviter olim Medicos perſtrinxerit Galenus: *Committuntur*, inquit, *quædam peccata ab ipſo ægroto; quædam a medicis his admirandis, putantibus, niſi quis introgreſſus ad ægrum, deinde ſuccingens ſe, vel cataplaſma impoſuerit, vel perfuderit, vel clyſterion indiderit, vel venam inciderit, vel cucurbitulas adjunxerit, vel confricuerit, vel nutriverit, aut hujuſmodi aliud factitaverit, nihil ab ipſo geſtum eſſe artificioſum: hi enim quoties accedunt ad ægrum, toties peccant* [a].

a Vid. Galen. de diebus Decretoriis lib. I.

FINIS.